





DE  
**VSV NERVORVM**  
**TELAEQVE CELLVLOSÆ**  
 IN NVTRIENDIS  
**CORPORIS HVMANI PARTIBVS**

AVSPICIIS SUMMI NVMINIS  
 CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
 PRAESIDE

**D. ANDREA ELIA BŪCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
 POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS CONSILIARIO INTIMO,  
 MEDICINÆ ET PHILOSOPHIAE NATVR. PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
 FACVLT. MEDICÆ SENIORE ET REGIOR. ALVMNOR. EPHORO,  
 IMPERIALIS ACADEMIAE NATVR. CVRIO. PRAESIDE,  
 REGIAR. SOCIET. SCIENT. ANGLIC. BEROL. ET MONSPELIENS. SODALI,  
 ET COMITE PALATINO CAESAREO,

**PRO GRADV DOCTORIS**  
 SVMMISQVE IN MEDICINA CONSEQUENDIS HONORIBVS  
 IN REGIA FRIDERICIANA

D. XXIII. MAII A. R. S. MDCCCLXVI.  
 PVBLICE DISPVTABIT

A V C T O R  
**THOMAS LVDOLPHVS STVTE**  
 SVSATO - GVESTPHALVS.

HALAE MAGDEBURGICAE, LITTERIS STEPHANIANIS.

# TEVEGUE CERTAPOSE

2507512774 11

# CORSON HAMILTON

**CONSENSA CRANIO-MEDICINA MEDICOGRAM  
PRAECLIDES VASPIGENSIS SUMMI AMBIVLA**

D' ANDREA ETIA TACCHI E R

САДЕ ДОМОДЕДОВОМ И МОСКОВСКИМ

THOMAS FABOCCHIÆ SIVAT



## SECTIO I.

DE

### VSV NERVORVM IN NVTRIENDIS CORPORIS HVMANI PARTIBVS.

#### §. I.

##### *Introitus.*



It durum quedam fatum, cuius sub iugo humanitas laborat, quoque fit, ut, salutiferis veritatibus, quae latuerant, in lucem protractis, utamur longe minus, quam abutamur. Quodsi enim fata scientiarum ea, qua decet, mente perlustramus, quodsi illa non legimus tantum, sed etiam perpendimus: fieri certe aliter non potest, quin innumera huius asserti deprehendamus testimonia, quae clara omnia voce docent, eam esse mentis humanæ conditionem, ut nouo inuento, noua veritate quasi abrepta, ultra drecta facile progrediatur atque tunc, veritatis loco, errorum nubes amplectatur. Bone Deus! quam secat eiussmodi exemplis Medicinae historia! Reste quoniam contendebant, Medicum Philosophum esse oportere; at Medici, nunc Philosophi fasti, minutias necrebant, arancarum telis subtiliores. Pullus notitiam vere neglexerat **HIPPOCRATES;**

magno

4 *Dissertatio inaugural. medica, de Vsu Nervorum*

magno itaque cum Medicinae bono eandem **GALENVS** illustrare coepit; adeo autem subtiliter materiam tractat, ut pulsuum doctrinae detrahatur potius lucem, quam adfundat. Famosa sua iniectione **RVYSCHIVS** detexerat, vascula maxime exilia repere per partes, quae vasa habere non videbantur; mox scholae Medicorum infinitam vasorum seriem adstruebant, totumque corpus humanum e vasculis componebant. Ostendit **Illustr. de HALLER** late parentem cellulosa utilitatem, docuit vim insitam, eius naturam partesque irritabiles; sed utraque doctrina abutentes Medici, pessimo ausu eam deturparunt. Numquid pluribus exemplis opus est? Vbiique sane habentur, atque adeo luculenta, ut satis intelligatur, maligno hominum fato accidere, ut inter eos, cum inuenta veritate, errores, sicuti cum segete lolium et steriles auenae, oriantur. Nemo ergo nunc mirabitur, diuinum immortalis **HARVEI** inuentum errorrem peperisse, cuius ortum et fata breuiter perstringam.

§. II.

*Ortus, fata et argumenta sententiae, qua Nervorum usus in nutri-  
tione adseritur.*

Cum enim **HARVEI** affeciae et defensores conuicti essent, sanguinis massam perenni motu agitari, eamque sic vasa, quae transit, potius atterere, quam ipsis quidquam affigere posse: sanguinem statim nutritiam materiam esse negabant. Quid? quod ipsi **HARVEI** aduersarii de circulo sanguinis ex eo dubitabant, quod sanguis alias non possit nutritioni inservire. Testantur id **WILLISIVS** in *Cerebri Anatome nervorumque descriptione et usu* Cap. XX. pag. 100. et **WALAEVS** de *Motu sanguinis in BARTHOLINI Anat. reform.* pag. 576. Quum illi autem intra nervorum poros et meatus laticeum deprehenderent, qui glutinosus et viscidus adparebat, mox partes, sanguini derogatas, in hunc nervorum succum deferebant, eumque vere nutritium esse humorem autumabant. Confer. **WILLISIVS** l. m. c. et **Illustr. HALLERI** *Elementa Physiolog. corp. hum.*

Libr.

Libr. X. Sect. VIII. §. 12. not. b. et §. XXX. pag. 404. 405. Georg.  
ENTIVS, Medicus Londinenis, qui nerueum illum succum pri-  
mus, testante GLISSONIO, docuit (*Anatom. Hepat. Cap. 45.*), pri-  
mus etiam huius sententiae fautor exstitit. Hunc sequebatur Fran-  
cise. GLISSONIVS, qui, ad confirmandam sententiam, ariduram  
partium ex paralysi adducit l. c. pag. 497. Confer. RIVINI Dissert.  
de *Nutrizione* §. 36. Eandem postea sententiam CHARLETON,  
Thom. CORNELIVS *Consentinus*, COLE, aliique arripiebant, quos  
HALLERVIS l. c. §. XXX. referr, et quorum Catalogus, si eo opus  
esset, augeri posset. Hos inter CORNELIVS *Consentinus* GLISSO-  
NII obseruationem historia quadam corroborat. Refert enim (*Oe-  
conom. anim. pag. 187.*), *a laesō in phlebotomia inepta neruo, brachium  
post diras conuulsione ita exaruisse, ut carnes ad ossa contegenda vix suffi-  
ficerint; hanc autem at ophiam procul dubio ex: nerui incisione, hincque  
impedito succi nutritii fluxu natam esse, subiungit.* Vid. RIVINVS l. m.  
c. §. 37. WILLISI sententia non solum ab ea, quam attuli, paul-  
lulum deflexit, sed nouis etiam quibusdam argumentis utitur, ut  
neruorum in nutriendas partes imperium doceat. Vtrumque bre-  
uiter describam, vt opinionis, quam amplexus est, idea habeatur.  
Ad haec nempe eius sententia reddit. Cerebrum er nerois, cum  
succo ex ipsis scaturiente, materiam, aut saltem influentiam quan-  
dam nutritionis operi contribuere, facile euinci posse putat. Si  
forte enim materia ista deficitus (cuius defectus indicium sit, si in  
parte aliqua facultas animalis vacillat), mox ibidem nutricatus in-  
hiberi, aut peruersti solet, quod, inquit, in paralysi a caussa eui-  
dente, sine praeuia sanguinis dyscrasia, excitata, plane cernitur,  
ubi motus, aut sensus, aut simul utriusque priuationi atrophia  
breui succedit. Dein ita pergit: in affectione scorbutica, quando  
labes succum neroosum corripuit, ut aegroti vertigine et scoto-  
mia, cum doloribus vagis, spasmis et crebra membrorum resolu-  
tione affligi inceperint, statim caro, velut in tabidis, concidit, ac

6 *Dissertatio inauguralis medica, de Vsu Nervorum*

sine pulmonum vitio, aegri quasi phthisi affecti emarcescent. Vul-  
garem praeterea obseruationem esse dicit, quod ab immodico Ve-  
neris usu, etiam a Gonorrhœa inueterata, ab ulceribus strumosis,  
aliisque abscessibus, quibus multum succi nervosi impendatur, to-  
tius corporis contabescientia producatur. Contendit quoque, dari  
atrophiae, immo et exanthematum genera quaedam, quae, cum  
sanguis quoad quantitatem et crasis non multum in vitio fuerit,  
omnino a succi nervosi defectu, aut iniqua dispensatione, pendere  
videantur. Denique putat, morborum et symptomatum quorundam  
considerationem, liquoris nervosi diffusionem eiusque in partes  
omnes magnam influentiam ita plane confirmare, ut nullus vel du-  
bitandi locus relinquatur. Verum, ut theoriam, ita et praxis **WILLISIVS** in partes suas trahere tentat. Emplastra enim cephalica  
in Phthisi saepe insignem opem praestare, et cerebrum corroborando  
atque hac ratione succi nervosi crasis prius vitiatam restituendo, eam perficere adfirmat. Contingere quoque, propter hanc  
causam, adiicit, quod affectus quidam, liquoris nervosi culpa excita-  
ti, cuiusmodi inter alios sint cancerosi et strumosi tumores, diffi-  
cillime curentur, quia scilicet morbida cerebri eiusque laticis ir-  
rigui tinctura non facile emendetur. Tandem instantia quadam, ab  
arte veterinaria desumta, utitur. In foedo enim equorum morbo  
(vulgo *Farcin dicto*) certissimam medendi methodum in eo dicit  
consistere, ut pharmaca quaedam acria, cuiusmodi sunt *Flammula*,  
*Hydropiper*, *Ranunculus*, et similia, quae sale volatili plurimum  
abundant, in massam contusa et equi affecti auribus imposita, ibi-  
dem per 24. circiter horas detineantur; *vix credibile est*, inquit, quo  
ritu ulcera statim omnia exsiccabuntur, ac morbus, velut incantamento sa-  
natus, breui in totum profigabitur. Postea remedii actionem ex eo  
repetit, quod isto cerebri et succi nervosi dyscrasia tollatur, adeo-  
que, prima aegritudinis radice praecisa, eius surculi et frutices  
statim emarcescant. Vid. **WILLISII Cerebri Anat.** l. c. pag. 103. 104.

Interea

Interea, quamuis WILLISIVS in nutritionis actu adeo succum neruosum magnificat, ab hoc tamen sanguinem minime vult excludsum. Videtur enim, inquit (l. c. pag. 104.), quod materies totius corporis nutritia in partes omnes e sanguine per arterias distribuatur; attamen existimare fas sit, quod ipsis materiae in nutrimentum conuersio inque partis alendae substantiam assimilatio, succi neruosi, tanquam fermenti cuiusdam spirituosi, influentia et ope peragatur. Atque pag. 105. summa nutritionis momenta sanguini deberi dicit, addens, quae eius de succi neruosi in nutritione utilitate sententiam edocent, haec verba: *Quo tamen nutritia materia rite disponatur, eiusque particulae, nempe crassae et tenues, salinae et sulphureae, aliaeque diuer- simodae indolis, ab inuicem secretac, cum delectu quodam usibus destinatis applicentur, facultate quadam direclirice et virtute velut plastica, aliunde, quam a sanguine, ascita, opus esse videtur: enim vero san- guis, spiritu animali desitutus, ad munia istibac peragenda impar exigit.* Quare siquidem constat, succum quandam in neruoso genere scatere, eundemque spiritu animali dotatum ad partes omnes diffundi, quid minus supponere possumus, quam quod hic liquor subtilis et spirituosis, arterioso, qui bebes et crassior est, ubique occurrens, eum actuet, inspiret atque ad designata nutritionis opera peragenda quasi instituat. Facile ex his omnibus WILLISII sententia intelligitur. Putat nempe, crassorem neruorum lympham, quae ex iis stillare solet, quamque succum neruosum cum aliis vocat, spirituum animalium esse vehiculum (pag. 102.), utrumque fluidum commixtum sanguini ad nutritionem apto adfundi, hacque additione fieri, ut in partibus alendis hae potius, quam aliae particulae adponantur. Atque hanc succi nutritii cum spiritu animali confusionem assumit etiam QUESNAI (*Oeconom.* pag. 257.), cum alii solum neruorum succum alibilem esse dicant (HALLERV loc. cit. not. y). BOERHAAVIVS, quum omnem totius nostri corporis solidam massam meris modo nervis, ut elementis suis, absolute construetam esse putet

(Inphi-

8      *Dissertatio inauguralis medica, de Vsu Nervorum*

(*Institut. med.* §. 440.), et nutritionem veram solidorum in nervis aut vasculis his similibus fieri (l. c. §. 446.), et materiam nutritio- nis proximam humorem subtilissimum nervum eius simillimum esse contendat (l. c. §. 447.), non poterit non insignem nervorum in nutriendis corporis humani partibus utilitatem agnoscere. *Il- lustr. b. m. HOFFMANNVS* (*Med. system. ration.* Tom. I. Lahr. I. Sect. III. Cap. II. §. II.) nervorum laesiones non motum et sensum, sed debitam etiam partis nutritionem laedere, ex observationibus evin- cit. *Crebriori*, inquit, in chirurgicis experientia perspectum nobis est, si sphaerulosa corruptio usque in nervum quendam penetrat, quod sit non raro in peccatis scorbuticorum ulceribus, ipsam putredinem lentius conti- nenter per tendines grassari, nec prius fisti, nisi ad partes et tendines accedat, qui ab illibato alio nervo vigorem ac robur accipiunt. Spinalis medulla laesa, vel distracta si fuerit, partes infra laesionem omni sen- su, tenuo, vigore ac laudabili nutritione privantur, adeo, ut a leui ex- terna laesione promptissimus in sphaerulum transitus sit. Membra paraly- tica vel tabe, vel tumore praeternaturali infestantur, certo indicio, nec partium conseruationem, nec earum nutritionem ac debitum functionem, sine nervorum integritate, sine eorum fluidi sufficienti affluxu, persiste- re posse. Negat tamen illustris Vir (§. III.), nervos materiam et succum nutritum vehere ac subministrare, sed ideo potius adfir- mat, ad nutritionem recte perficiendam nervorum integritatem quidquam conferre, quia, aducto subtilissimo fluido, partes et fibras solidae robur, vigorem ac tonum accipiunt, quo nutritius succus ad inti- ma fibrarum melius penetrare, adponi, et purum ab impuro ac solidum a liquido rectius sedere possit. Eadem ratione iudicat celeberr. KRÜ- GER (*Naturlehre* Tom. III. besond. *Patholog.* §. 369. pag. 408.). Dicit enim: *Man bemerkt, dass der Theil, welcher lange gelähmt gewesen ist, nicht geheorig erneubt werde, sondern zu schwinden und vertrocknen anfange: zum deutlichen Beweise, dass auch die Nerven etwas zu der Ernährung beitragen; worin dieses aber eigentlich besteht, laesset sich*

sich so leicht nicht mit einer voelligen Gewissheit ausmachen. Wahrscheinlich ist es, dass bey der Ernæhrung ein gewisser Ton der Faergeren erforderl. werde, welcher durch die Laehmung verlobren gehet. Alia tamen occasione (allgem. Patholog. §. 151.) systema BOERHAAVII propoit, ut minimarum particularum nutritionem doceat. Atque eidem sententiae, cui HOFFMANNVS fauet, calculum etiam adiicit Illustr. de HALLER (§. XXX. pag. 405): *Neruo enim laeso, inquit, tota integritas artus corrumptitur, motusque, et procul dubio aliquid a firmitate fibrae nunc abiit, quod ipsi nervi praefant.* Plures hanc sententiam fount, sed eorum recensione, ne longus sum, supersedeo. *Celeberr. HAMBERGERVS* neruorum in nutritione partium imperium agnoscit, simulque putat, neruorum fluidum, cum resoluat, nutritias partes ad ingressum in alendorum interstitia aptas reddere. Pater id ex Physiol. medica §. DCXXXVI. *Nutritio*, inquit, *solidarum partium non fieri potest per globulos sanguineos, vel serofos, sed ut fluida maiori longe diuidantur gradu necesse est, antequam ad nutritionem solidorum siant apta.* Cum igitur spiritus animales resolutionem fluidorum multum iuuent; sine spiritibus animalibus decens solidorum nutritio fieri haud potest. Alia iterum ratione celeberr. MONROVS, in Tract. de Nervis eorumque distributione etc. neruorum utilitatem in nutritione partium proponit. Postquam enim §. 26. docuerat, ex obseruationibus constare, *neruos esse praecipua organa sensationis, motus et nutritionis, eamque virtutem non esse nervis insitam, nisi communicatio inter fibrillas earumque origines seruetur;* atque §. 56. assumerat, *fluidum nerueum esse aquam limpida*, *cum paucissimis aliis principiis, maxime attenuatis, mixtam:* fluidi huius in nutritione usum §. 65. explicare studet. Ita enim loquitur: *a) Si aqua cum paucissimis particulis oleosis et salinis nutrimentum e terra praebet vegetabilibus, talis liquor, ut fluidum nerueum, haud detimento in animalibus restaurando impor erit.* *(β) Tardus et perpetuus motus fluidi nervi ad minutissimas corporis partes sufficit, ut particulas, a solidis, liquorum circulatione*

10      *Dissertatio inaugural. medica, de Vsu Nervorum*

et necessariis vitae actionibus continuo detritas, suppleat. 1) Maius ratione corporis encephalum in iunioribus, quam adultis, videtur a natura factum, quoniam magis nutriti debent: accedit, quod quo iunius animal, eo maius cerebrum et citius incrementum caput. 2) Paralysis et atrophia membrorum, vulgo se inuicem comitantes, demonstrant, nutritionem, sensum et motum ab eadem causa dependere. Ne autem quis credit, doctissimum Virum soli fluido nereuo tribuere nutritionem, addit: 3) Nervi praecipua sunt nutritionis instrumenta; attamen non affirmamus esse sola; adeoque atrophia, a compressione vel laesione arteriae producta, huic doctrinae obiecti non potest. Ab his omnibus paullulum recedit celeberr. le CAT, cuius sententia exstat in Mémoire, qui a remporté le prix sur la question proposée par l' Academie etc. Assumit nempe, fluidum nerueum omnium corporis humani partium, aut saltim praecipuarum, nutritioni infseruire. Il est donc, inquit, bien prouvé par toutes ces obseruations, que le fluide des nerfs est l'aliment ou le suc nourricier de toute la machine, ou au moins des principales parties de cette machine (pag. 33. 34.). Probat id triplici argumento, dum (pag. 33.) fluidi neruei existentiam ex illius necessitate euincere studet, quod ipsis celeberrimi Viri verbis adducam: 1) Ce cerneau, ces mêmes nerfs, dont on connaît, que les filières sont si subtiles, ne laissent pas de se nourrir et de prendre un accroissement proportionné à celui de toutes les autres parties; ce qui ne peut être sans admettre un fluide capable de former une substance analogue à celle de nerfs. Eh! quelle autre substance, que le suc nerueux, est capable de cette fonction? Le sang n'a nulle proportion avec ces filières, et s'il avoit le privilége de s'y introduire, on pourroit l'y voir sans art. 2) D'ailleurs l'impuissance du sang à cet égard n'est-elle pas encore démontrée par la maigreur, l'atropbie, dans laquelle tombe un membre paralytique, ou affecté de quelque douleur habituelle, de quelque affection sur les nerfs? car ce membre est très fourni de sang par ses artères; ses nerfs seuls sont obstrués ou malades, c'est à dire, le fluide nerueux, ou celle d'y

d' y couler, ou y est dépraué, et par cette seule privation d' un fluide nerveux naturel la partie cesse d' être nourrie. 3) Nous voyons au contraire chaque iour, que les membres, auxquels nous donnons beaucoup de mouvement, sont mieux nourris, deviennent plus forts, que nous faisons couler dans ceux-la une plus grande quantité de une fluide nerveux. Interea celeberrimus Vir minime perhibet, spiritus animales nutritre, sed potius valdopere id negat, cum adeo sint subtile, ut eos condensari atque in solidam partem mutari posse, credi nequeat; id vero affirmat, nerueum fluidum compositum esse ex lympha mucilaginosa nutritia et spiritibus animalibus (pag. 34 35. 69.), atque naturam mucilaginosam lymphae neruae ipsi nutritiam impetrare facultatem (l. m. c. et pag. 37.). Contendit ceterum, lympham hanc per nervorum fibras transire et in cerebro parari (pag. 34. 37.), cum spiritus animales a spiritu viuiscente et uniuersali, per respirationem attracto, ortum suum sumant (pag. 68.). Atque haec sunt primaria Medicorum, de nervorum in nutritione usu, iudicia. Error, ut vidimus, hanc sententiam peperit, certa experientia eandem firmare visa est, variis dein modis per hypotheses derurpata. Nervos interea nutritioni inferuunt, res est inter Physiologos fere explorata, ut paucos inuenias, qui hanc nervorum utilitatem omittant, licet de modo, quo eandem perficiant, multum sit disputatum. Vtrumque, abiecta praeconcepta opinione remotaque turpi hypotheses inueniendi libidine, inuestigabimus.

## §. III.

*An nervi nutritioni inferuant? eruitur. I. Argumenta falsa.*

An vero certo certius est, quod nervi nutritioni inferuant? Considerabimus primo falsa argumenta, quibus id probare adnituntur, atque inter haec agmen ducant, quae fere ab omnibus firma, sufficientia et explorata habentur. Elegantissimum, ut putant, pro nervorum in nutritione usu argumentum, illud est, cuius §. antec. frequentissime mentionem inieccimus, quodque ab atrophyia partium

paralyticarum desumitur, quae paralysin aliquod post tempus inse-  
qui solet. Hoc itaque in primis discutiendum erit, cauendum in-  
terea ne temere de eo iudicemus. Ista autem aridura paralysi tam  
perfectae, quam imperfectae competit, licet in hac frequentior  
esse videatur. *Motus sensusque abolitioni, aut immunitio*n*i, inquit ce-  
leberr.* CARTHESIUS (Fund. Pathol. et Therap. Tom. I. pag. 259.  
§. III.), quae paralyseos grauioris aut leuioris essentiam constituant, or-  
dinario etiam caloris naturalis et nutritionis decrementum iungitur, et pars  
flaccida paullatim contabescit, ita tamen, ut atrophia aequa ac flaccidi-  
tas, in specie grauiori atque perfecta longe maior, quam in mitiori et im-  
perfecta, deprehendatur. Verba dein Illustr. b. m. HOFFMANNI, §.  
anteced. allata, ut et frequentissimae Medicorum obseruationes,  
quibus patet, neruo, ad membrum tendente, presso dissectoue,  
cum paralysi ariduram insecuram esse, satis evincunt, laesam nu-  
tritionem paralysin perfectam, si paullo diutius durer, saepè sae-  
pius excipere. Quod vero paralysin imperfectam attinet: de Pi-  
etonum colicam exciente paralysi, quae, ut notum est, spuria  
esse solet, testatur PERILLUS. van SWITZEN, eam omnium frequen-  
tissime cum aridura coniungi. In illa enim, inquit, paralysi, quae  
colicam Pietonum dictam sequi solet, omnium frequentissime illa atrophia  
partium paralyticarum obseruatur. Crebram occasionem habui hunc mor-  
bum videndi et tractandi, et cum commiseratione vidi, deltoides muscu-  
los in utroque brachio euauisse quasi, ita ut sola cute tectum humeri ar-  
ticulum tangere potuerim. Torosam illam carnem musculosam, quae pri-  
mae phalangi pollicis, in parte manum spectante, apponitur, et pollicem,  
magna vi dum agit, versus manus palmam adducit, pariter adeo emar-  
suisse vidi, ut ne vestigium eius fere superesse videretur, et miseri illi  
nullam vim manibus exercere potuerint. Confer. Commentar. in Aphor.  
BOERHAAVII Tom. III. §. 1062. pag. 370. Patet ex his verbis si-  
mul, atrophiam in paralysi imperfecta frequentiorem esse, quam  
in perfecta, quod etiam Illustr. b. m. IVNCKERS docet, in Therap.  
special.

special. Tab. CXVI. pag. 888. Contendit enim, paralysin grauiorem saepe excipere sphacelum, ut leuiorem illius gradum, ariduram. Atque id forsitan vult *Illusfr. de HALLER*, quando l. c. adfirmat, *banc atrophiam sensum non tollere.* Quamuis autem laesa nutritio cum paralysi partium adeo frequenter conjugatur: minime tamen in ea ita constans est, ut sine illa paralysis existere nequeat. Dantur enim paralyses, satis diu etiam durantes, quibuscum aridura non conjugatur. Monuit id iam anonymous Auctor *Oeconom. animal.* pag. 145. Part. I. contendens ibi, *partes paralyticas non semper emacerari; saepe enim satis bene nutriti.* *Illusfr. quoque b. m. HOFFMANNVS, Med. ration. System. Tom. IV. Part. IV. pag. 27. Obseruat. II.* casum adducit paralyseos abdominis et artuum inferiorum, a terrore, quae quidem exactissime vera erat, cum omnis sensus destruetus animaduerteretur, verum sine aridura per notabile tempus perdurabat, et accidente demum febre lenta necabat. Quod si nunc haec omnia perpendantur: facile patet, illam ab aridura partium, cum earum paralysi coniuncta, desumptam demonstrationem longe minus, quam vulgo creditur, neruorum utilitatem in nutritione ostendere. Quoniam enim paralysi spuriae solemnior reprehenditur ista, quam diximus, aridura: non leuis exinde nascitur suspicio, eam neruis, contra plurimorum opinionem, minime esse tribuendam, sed laesis potius arteriis, utsi quae caussae sunt paralysis partium spuriae. Nunc vero paralysis etiam exacte vera extitit, ut vidimus, sine aridura. Nonne itaque exinde concludere debemus, non neruorum, sed arteriarum laesioni, atrophiam paralyticam partium adscribendam, atque hinc nutritionem potius ab arteriis, quam a neruis petendam esse? Verum equidem est, quod paralysis quoque vera cum atrophia connexa existiterit; quare, cum ea neruis affectis debetur, videri posset, ac si ostenderet satis clare, neruos nutritioni inseruire. Facilis tamen est ad haec responsio. Docet nempe obseruatio, cum paralysi partis languidum

14 *Dissertatio inauguralis medica, de Vsu Nervorum*

dum pulsus in ea regione, quam adficit paralysis, plerumque coniungi. Confer, HOFFMANNVS l. c. Quum ergo affecti nervi plerumque cum laesia et languentibus arteriis stipati sint, ab arteriis autem nutritio partium efficiatur: mirandum sane non est, quod paralysis etiam vera et atrophica partis consumptio haud raro sociæ deprehendantur. Hinc vero minime concludendum, nervos nutritioni inseruire. Etenim 1) languor iste arteriarum quem dixi causam laesae nutritionis in partibus paralyticis in se continere, non semper a nervis affectis pendet, sed potius ab ea ipsa caussa, quae nervo vitium induxit. Sic v. g. si discindatur aut comprimatur nervus, facile sit, ut arteria etiam solutionem continui, aut compressionem patiatur. Quis ergo tunc dicere potest, nervum laesum atrophiam, si accedit, producere? 2) Quodsi etiam nervi, quorum actio sub paralysi est deleta, arteriarum nutrientium languorem inducant: exinde tamen colligi non debet, eos ideo mereri, ut nutritioni partium inseruire dicantur. Quando scilicet sub vera partium paralysi abolita nervorum actio, producendo arteriarum nutrientium languorem, atrophiam secum ducit: id non accidit ob particularum nutrientium in parte paralytica defectum (partes enim paralysi laborantes ab actione feriantur, proprie ergo non egent nutritione), sed ob collapsum arteriarum aliorumque vasorum, quorum larera dein concretionem et voluminis imminutionem patiuntur. Conf. hic Perillusfr. van SWIETEN l. c. Eiusmodi itaque atrophia, respectu nervorum, nihil aliud ostendit, quam quod nervi in statu naturali, vasis addendo robur, eorum latera firment, arque, ne collabescant, impedian. Nunc quidem sanum arteriarum lumen ad nutritionem sanam omnino concurrit, ut nervos ideo etiam nutritioni inseruire dici possit. Quum vero innumerae dentur caussae, quibus constans arteriarum nutrientium diameter conseruetur, ipsaque tela cellularis, pulcre id ostendente HALLEKO, quod requiriunt vasa, horum latera firmet, Physiologi tamen

num-

numquam de his caussis affirmant, eas ideo nutritioni partium inseruire: facile, ut arbitror, elucescit; neque de nervis ob eandem caussam dici debere, quod nutriendis partibus inseruant. Ostendit itaque nunc, atrophicam partium paralyticarum constitutionem, sive sub paralysi spuria, sive sub vera accidat, neutiquam comprebare quod nervi nutritioni inseruant, multo minus tantum, quantum plurimi, quos §. anteced. allegauit, arbitrantur. Aliud argumentum pro hac nervorum utilitate desumitur a dissectione et compressione nervorum, quas atrophia excipere solet, quod MONROVS cum aliis maxime urget. Verum quae de paralysi dixi, hic quoque applicari debent. Vel enim cum nervo nutriendis arteria dissecatur et comprimitur, vel nervus discissus et compressus collapsui et concretioni fauet vasorum, ut aridura ensescatur. In utroque casu, ut ex dictis patet, minime colligi debet, nervos in corpore humano vere nutritre, aut saltim nutritioni partium dicatos esse. Quare et haec obseruatio insufficiens est; minime enim id, quod ostendere creditur, euincit. Iam alia argumenta diuidicemus.

## §. IV.

*Opinio ENTII, et argumenta WILLISII inquiruntur.*

Quod pro eo, quem dico, nervorum usu afferunt argumentum, qui ENTIVM sequuntur, quodque ab effluxu succi lymphatici ex laeso nervo repetunt, adeo absconum est, ut vix longiori discussione indigere videatur. Succus enim iste ex parte saltim nutritius quidem est; cum vero ad essentiam nervi non pertineat, usus etiam, quem halitussum illud fluidum effluens praefstat, nervo ipsi adscribi non deber, ut iam alias sat graues rationes hic omittam, quae hanc opinionem destruunt. Sequuntur ergo WILLISII argumenta, quae pro stabilienda nervorum utilitate in nutritione collegit. Atque primum quidem illius argumentum est notum illud, quod ab atrophia paralyticarum desumitur (§ II.). Sed

Sed vidimus §. anteced. illud insufficiens esse. Neque, ut innuere videtur WILLISIVS (§. II.), cum omni paralyysi atrophia coiuncta est, ut potius exactissime vera existat, sine subsequente atrophia diu adstringens (§. ant.). Quod secundo de tabe ex graui affectione scorbutica loquitur (§. II.): non ostendit, neruos nutritioni partium inseruire, sed lympham nutritiam demum scorbuto adeo corrupti, ut nutriendis partibus impar sit. Quid iam neruis, ut id explicetur, opus est? Immodicus tertio Veneris usus, gonorrhoea inueterata, ulcerata maligna et abscessus (§. II.), aut lympham nutritiam inquinant, aut ab ea iam corrupta proficiscuntur, aut copiam illius nimium minuunt. Quis nunc non vider, illum male agere, qui, neruos nutritre, exinde concludit? Quarto WILLISIO facile concedi potest (§. II.), dari atrophiam, exanthemata quae-dam, morbos et symptomata, quae a viriata lympha, sive, ut eam vocat, succo neruoso male affecto originem suam sumunt: hinc autem ad neruorum in nutritione utilitatem concludere non possumus, cum lympha neruorum ad propriam ipsorum naturam non pertineat. Neque quinto emplastrorum cephalicorum usus in phthisi, illam neruorum utilitatem demonstrat (§. II.). Quodsi enim unquam adeo magnam utilitatem in phthisi praestiterint, ut WILLISIVS autumat: factum id est ob particulas roborantes absorptas, quo circulus sanguinis intendi et neruorum actio viuidior reddi potuit. Quum vero utrumque hoc momentum sine prægresso nutritionis augmento perfici queat: multo minus neruos nutritre hinc colligi debet. Sexto verissimum omnino est, quod affectus cancerosi et strumosi difficulter curentur (§. II.). Nemo autem non perspicit, absconam esse huius rei explicationem, quam WILLISIVS proponit. Quis enim credet unquam, horum affectuum radices in cerebro querendas esse? Innititur hoc WILLISI assertum eius opinioni, qua putat, lympham neruorum in cerebro secerni, ab hoc ad neruos, hinc demum ad omnes corporis partes deferri.

deferri. Haec autem doctrina diu est explosa, licet eam celeberr. *le cat* ex parte recixerit. Neque largietur facile quispiam, lympham neruorum inquinatam cancri et strumarum caussam existere, ut alia argumenta omittam. Atque eadem ratione refellitur *septimum* argumentum, quod ab ulceroso equorum morbo eiusque curatione desumit (§. II.). Quodsi usus commendati a *WILLISIO* remedii adeo felici eventu coronetur: non opus sane est, ut illius in cerebrum actionem assumamus, idque eo minus, quo certius est, quod *WILLISII* explicatio errori, ut dixi, innatur. Absorptio salis volatilis sufficit, quo sine dubio inquinamentum fluidorum corrigitur. Praeterea minus recte *WILLISIVS* supponit, hunc morbum natales suos cerebro debere, cum longe aliae illius caussae existant, multae etiam cerebri laesiones cum optima nutritione contingant atque adsint, licet nulla fluidorum corruptio, qualis in equorum morbo adest, inde enascatur. Quid? quod, si quoque ab eo laeso quodammodo proficiseretur, minime tamen, cum laesam nutritionem sibi tamquam caussam non vindicet, ostenderet, quod cerebrum tantum ad nutritionem necessario requiratur.

## §. V.

*Rationes BOERHAAVII, HAMBERGERI et MONROI  
penitantur.*

Ingenium *BOERHAAVII* adeo excellens, adeo orbi medico salutare fuit, ut errores, quos commisit quosque subsequens correxit aetas, ipsi dedecori esse nequeant. Non iniurius itaque ero in merita magni Viri, si ea, quae Medicum decet, cogitandi libertate illa ipsius argumenta, quae pro usu neruorum in nutritione suppeditauit (§. II.), accuratius dijudicauero. Tria vero argumenta, quibus utitur, superius adduxi. Nutritioni nempe inferiure debent nerui, 1) quoniam *omne corporis humani solidum meritis modo nervis*, ut elementis suis, absolute constructum est (§. II.). Erroneam hanc esse sententiam, facile pater. Dantur enim partes insensibiles, cum tamen

C

tamen omnes nervi sentiant; dantur partes irritabiles, cum nervus omni irritabilitate sit destitutus. Quoniam itaque partes existunt, quae requisita nervorum non habent, atque aliae, quarum vires nervis non competit: falsum sine dubio erit, quod elementum omnis solidi in corpore sit nervus. Ut sententia hæc defendatur, dici equidem posset, in primo tantum hominis ortu clementa naturam nervorum possidere, quam dein exuerent, exemplo aliorum C. H. solidorum, quae cum aetate miras subeunt mutationes. Verum et id hypothesis est, cui multa opponi possunt. Ut enim de eo nil dicam, quod animalia dentur, quorum solidæ, cum nervos non habent, ex iis constructæ esse nequeunt: id etiam certum est, non dari ullum exemplum in corpore humano, ex quo constaret, nervos in musculum, os, cellulosam, tendinem, mutari. Neque demum admitti facile potest, quod canalis, qualis est nervus, in fibrarum mutetur, cum non solum huius ortus brevior concipi queat, sed etiam caussæ deficiant, quæ molle adeo vasculum in utero materno iam a principio in cartilaginem aut aliud simile solidum commutarent. 2) Quoniam nutritio vera solidorum in nervis, aut vasculis similibus, contingit. At enim vero nutritio vera in intersititiis fibrarum ultimarum sit: haec autem neque vasa sunt, neque nervi, ut Physiologi euincunt. Erramus itaque, quando nutritionem veram in nervis aut vasculis fieri censemus. 3) Quoniam materia nutritionis proxima humor subtilissimus nervos eius simillimus est (§. II.). Fluidum nervosum proxima nutritionis materia vix dici potest, cum illud ad omnes partes non vehatur, atque fluidum nutritium solidescere in eo casu debeat, de quo BOERHAAVIVS loquitur. Sufficit ad hanc nutritionem lympha nutritia, quæ ad omnes partes defertur, atque eas conditiones possider, quæ requiruntur, ut in solidum demum abeat. Confer. HALLEVS l. c. pag. 405. Nunc respectu tenuitatis ista lympha fluido nervoso omnino similis est, nihil tamen minus multum ab eo recedit, si aliae horum fluidorum

con-

conditiones comparentur. Exemplum plane simile suppeditat semen masculinum, quod multum cum fluido nerueo conuenit. (*Hufstr. LUDWIG Inscr. Physiol. S. 260.*) alias interim dotes possidet, quae ad fluidi neruei naturam adipicari non possunt. Quodsi ergo afferitur, proximam nutritionis materiam humorem esse fluido nerueo simillimum; id, excepta tenuitate, ne ulla veritatis specie assumi potest. Quum itaque fluidum nutritium et fluidum nerueum tam diuersis gaudeant qualitatibus: neque haec pro usu neruorum ratio, a BOERHAAVIO adducta, nos cogit, ut neruos nutrire assumamus. Quare iam *celeberr. HAMBERGERI* sententia inquirenda erit. Arbitratur nempe Vir doctissimus, neruos ideo nutritioni inseruire, quod fluidum in se contineant, cuius demum cum lympha commixtione fiat, ut fluidum nutritium magis dividatur, atque ea ratione ad nutritionem solidorum aptum fiat (§. II.). Huic tamen rationi multa contrariantur: 1) Dantur animalia, v. g. polypi, quae nutriuntur, quamvis nullis instructa sint neruis. 2) Lympha nutritia, muscularum, vasorum et glandularum conglobatarum ope, adeo dividitur, ut succi neruosi additione vix opus esse videatur. 3) In subiectis, quorum nerui debiles sunt, appositi particularum optime succedit, licet neruorum fluidum a sua integritate in iisdem recedat, aut saltim deficiat. Haec, atque dubia fluidi neruei cum succo nutritio commixtio, non permittunt, ut *celeberr. HAMBERGERI* sententia probetur. Ad ea ergo transeo argumenta, quibus *celeberr. MONROVS* neruorum in nutritione utilitatem evincere adnititur (§. II.). Omnia illius argumenta collabescunt, quando perpendimus: 1) Fluidum nerueum non posse ea mixtione gaudere, quam Vir venerandus assunit (§. cit.). Nimis enim tardus motus inde euaderet, qui tamen celerrimus esse debet. 2) Fluidum nerueum, cum non omnes partes sentiant, ad omnes minutissimas partes minime deferri. 3) Magnitudinem cerebri, et citius incrementum in iunioribus,

a copia succi nutritii elaborari pendere. Atque hinc causa citioris incrementi non satis bene in magnitudine cerebri quaeritur. 4) Atrophiam post paralyсин insufficiens esse, pro adstruenda nervorum in nutritione utilitate, argumentum (§. III.). Demum, cum ipse MONROVS concedat, arterias nutrire (§. II.), atque fluidum sanguineum et nerveum toto coelo a se innicem recedant, probabile non esse videtur, quod utrumque fluidum nutritioni, eadem plane ratione praestandae, inseruiat.

## §. VI.

*Argumenta celeberr. le CAT limae subiiciuntur.*

Supersunt adhuc ea argumenta, quae pro usu nervorum in nutritione adfert celeberr. le CAT. Vidimus (§. II.), Virum clarissimum putare, fluidum quoddam mucilaginosum, quod succum nerveum vocat, commixtum cum spiritibus animalibus, per nervos vehi, atque ita nervos nutritionem percire, quod succum illum contineant. Ut hanc suam sententiam confirmet, iudicat primo, cerebrum ipsosque nervos nutriti non posse, nisi illud assumatur fluidum. Neque negari potest, nervos nutritione indigere eamque per eiusmodi fluidum fieri, quale supponit celeberr. le CAT. Ipsa quoque experientia docet, nervos eiusmodi mucilaginoso humore continuo irrorari. Exinde tamen, nervos nutritioni inseruire, colligere non debemus, quod fluidum illud, non ipsorum nervorum substantiae, sed potius illorum cellulositati vasisque minimis inexistit. Suadet enim hoc non solum analogia, sed ratio etiam, quae facile docet, tenaz eiusmodi fluidum nerveis fibris inhaerere non posse. Quod secundo a mala nervorum affectione et atrophia hinc producta argumentum desumit (§. II.), illud poterit ex §. III. satis dijudicari, ut hic opus non esse videatur. Maxime etiam clariss. Vir errat, quando putat, eiusmodi atrophiam ab impedito succi nervosi motu aut eius depravatione oriri. Dictum fuit in §. III. longe aliam illius subesse causam. Speciosius est

tertiuum

tertium, quo utitur, argumentum (§. II.). Obseruamus omnino, homines otio deditos debiles reddi, cum illi contra ea, qui motum frequenter instituunt, robur quoddam acquirant. Nervos vero nutritre, ideo affirmare non debemus. Id enim, quod corpori robur addit, non statim nutrit, atque id in preposito casu eo minus statui potest, quod appositio particularum in otiosis multo magis, quam in mobili vitae generi addictis, succedit. *Cæberr.* equidem *le CAT* ea ratione hoc phænomenon explicat, ut nervos nutritre exinde pateat (§. II.). Ast satis mira est haec explicatio. Dum enim putat, auctum illud robur dependere a copioso succi nervosi influxu in partes, quae mouentur, non recordari videtur, in eiusmodi subiectis in eadem proportione consumi succum, quem nervosum dixit. Quis ergo huius copiosioris influxus erit usus? Nullus certe, saltim non is, quem *clariss. le CAT* ipsi tribuit. Veriora ergo nunc quaerenda sunt argumenta, aut his deficientibus, facile dictus nervorum usus negari debet.

## §. VII.

II. *Argumenta vera.*1. *Nerui conseruant vim muscularum insitam, quae sine iis perderetur.*

Suppono hic, caussam irritabilitatis in commixto cum fluido nervoso glutine musculari quaerendam esse. Docuit *Illiusr. et Venerand. Praeses* id in *Dissertat. de Legibus irritabilitatis generatioribus*, §. II. Cum enim irritabilitas solis tantum muscularis propria sit, quod *HALLERI* experimenta euincunt: necesse sine dubio est, ut ea *causa* in musculari conditione lateat, qua is ipse ab aliis corporis humani partibus essentialiter differt. Nunc duo tantum sunt momenta, quibus ab aliis partibus recedit musculus, quaeque irritabilitatis caussam in se continere possunt. Primo nempe musculus respectu cohaesionis ab aliis partibus discepit. Gluren ergo muscularare definitam cohaesionem, ab aliis glutinis cohaesione diuer-

sam, habebit. In eo itaque caussam vis muscularorum insitae posuit  
*Illustr. de HALLER.* Verum, quod pace Viri illustris dixerim, ex-  
perimenta, quae ipsem proposuit, minus cum ea theoria con-  
sentire videntur. Quodsi enim caussa irritabilitatis in solo glutine  
musculari lateret: nulla certe conueniens ratio assignari posset, qua  
fieret, vt partes, quae proxime ad musculi cohaesione accedunt,  
omni irritabilitate destitutae essent. Dein musculi ab aliis partibus  
differunt, quod minimus nenuus ad minimam fibram muscularam  
abeat, atque sic fluidum nerueum, quo potissimum agunt in cor-  
pore humano nerui, cum glutine musculari commisceatur. Num-  
quid ergo in solo fluido nerueo, aut eius cum quoconque glutine mi-  
scela, caussa irritabilitatis haeret? Minime! Nam partes maxime  
fentientes non sunt irritabiles, atque fluidum nerueum cum glutini-  
ne nenuorum commisceri videtur, sine eo tamen, ut nerui irrita-  
biles sint. Haec itaque ratiocinia, cum doceant, caussam irritabi-  
litatis neque in solo glutine musculari, neque in solo fluido ner-  
ueo, neque in huius cum quoconque glutine commixtione & mi-  
scela quaerendam esse, suadent omnino, veram huius potentiae  
caussam intimiori glutinis muscularis cum fluido nerueo miscelae  
deberi. Addi hic possent obseruationes, quae hanc sententiam  
egregie illustrant; at ne multus hac in re sim, nimiumque a tramite  
aberrem, eas omittam. Sed gluten muscularare perditur, consumi-  
tur, absorbetur. Ne ergo muscularum vis insita pereat: opus est,  
ut fluidum nerucum continuo glutini muscularum admisceatur.  
Nerui itaque, dum subtilissimum fluidum continent, efficiunt, vt  
id, quod solidae parti deceat, restituatur. Nonne ergo nutritioni  
inseruent? Docent id etiam obseruationes. Si enim paralysis ve-  
ra membrum afficit, quanto non opus est stimulo, ut qualiscum-  
que motus producatur! Saepe etiam ne electrica quidem scintilla  
motui producendo par est. Repugnare equidem huic, quam pro-  
posui, theoriee videntur, quae *Illustr. de HALLER* passim contra  
eos

eos monet, qui irritabilitatem nervis tribuunt. Sed commode satis ad ea responderi potest.

## §. VIII.

2. *Nervi fibris muscularibus robur addunt.*

Monui §. II, esse, qui nervorum, quem in nutritione praestent, usum a robo reperunt, quod partibus adduat. Spectat huc *Illustr. b. m. HOFFMANNI*, celeberr. KRÜGERI et *Illustr. de HALLER* sententia. Nunc verissima quidem est haec sententia; errant tamen Viri, laude mea superiores, in eo, quod robori isti, aut eius defectui, tales effectus tribuant, qui ipsis ea ratione non competunt. Putant nempe, patere ex deficiente partium robore, a laeso nervo industo, quare paralyzin atrophia excipiat (§. II.). Non possumus interea eam inde ita, ut volunt, deducere, cum experientia doceat, deficiens partium robur nondum sufficere, ut apposito particularum impediatur, nisi arteriae adeo languescant, ut collabescant (§. III.). Nunc lubens concedo (§. cit.), hunc collapsum ab affecto nervo oriri posse; hunc vero collapsum arteriarum hinc que pendentem earum et reliquorum vasorum concretionem, tamquam veras eiusmodi atrophiae caussas, non attendunt Viri laudati, cum KRÜGERVS et HALLERVS fibras ipsas, HOFFMANNVS autem imminutum tantum fucci nutritii motum attendant (§. II.). Praeterea deficiens hoc arteriarum robur non nisi remota est istius atrophiae caussa (§. III.), atque hinc non solum robur arteriarum naturale vix dignum est, quod caussas nutritionis ingrediatur (§. cit.), sed male etiam agimus, quando, ubi de caussa atrophiae partium paralyticarum quaestio mouetur, robur deficiens accusamus, cum Pathologus, hanc quaestionem proponens, de proxima magis causa, quam de remota sollicitus sit. Influxus itaque roboris, quod quibusdam partibus imperiunt nervi, numquam ita proponi debet, ut statuamus, appositionem particularum inde maiorem reddi, id que sane eo minus, quo certius est, quod, quam dixi, atrophia a con-

24 *Dissertatio inaugural. medica, de Vsu Nervorum*

concretione potius, quam laesa appositione oriatur. Verum neque assimi potest, quod proponit *Hufstr. b. m. HOFFMANNVS* (§. II.), robur nempe illud efficere, ut nutritius succus ad intima fibrarum melius penetrare, apponi, et purum ab impuro secedere possit. Nam atrophia post paralysin eueniens, cui tota *Viri illustris* demonstratio vnicie innititur, non pendet a defectu succi nutriti, aut laesa saltē appositione, sed a concretione partium, ut saepe iam monui. Alius itaque huius roboris querendus est effectus, ita tamen, ut exinde nervorum utilitas in nutritione pateat. Prius autem docendum erit, qua ratione fiat, ut nervi partibus quibusdam robur impertiant. Dum nempe minima fibra muscularis cum minimo nervo est connexa (§. ant.); hinc contingit, ut fluidum nerueum continuo ad illum vehatur. Sed fluidum nerueum stimulus est, quando musculo applicatur. Nonne itaque musculus ab eo continuo irritari debet? Atque irritatio contractionem supponit, sub qua elementa propius ad se inuicem accedunt. Quare nervi musculo robur addere debent, quod etiam partium paralyticarum flacciditas demonstrat. Insuper cum fluidum nerueum cum glutine muscularorum commisceatur (§. anteced.), atque facilime in tremorem abripiatur, non poterit non gluten muscularē inde quoque ita disponi, ut facile tremat, cuius exemplum perpetua fibrarum muscularium palpitatio subministrat. Hinc autem musculo nouum accedit robur. Quoniam nunc firmitas modo descripta ab additione fluidi neruei continua ad gluten muscularē pendet: nervi sine dubio nutritioni inserviunt, immo ipsimet nutriunt. Verum illud etiam robur, quod a fluido nerueo, tamquam stimulo perpetuo, proficiuntur, ostendit, nervos nutritioni inservire. Quando enim particulae fibrarum propius ad se inuicem accedunt, cohaesio partis inde adaugetur, atque ideo particularum appositarum assimilatio facilitatur. Nervi itaque in musculo efficere debent, ut fecesus fluidi a solido facilius contin-  
gat,

gat, quod reste contendit *Illust. b. m. HOFFMANNVS* (§. II.).  
Nutritioni ergo inferuunt.

§. IX.

3. *Fluidum nervuum fibras medullares ad tremorem disponit.*

Non infrequenter inter Physiologos agitatur quaestio: num  
nerui et cerebrum, quod medullarem substantiam attinet, tre-  
mant, atque hac etiam ratione actiones suas exferant? Qui id af-  
firmant, illos multis argumentis refellere studet *Illust. de HAL-  
LER* (l. c. Libr. X. Sect. VIII. §. IV. pag. 361 seqq.). Ad ista ta-  
men argumenta congrue responderi potest, quando perpendimus,  
*HALLERVM* contra eos potissimum pugnare, qui actionem neruo-  
rum a vibrationibus substantiae medullaris unice repetunt; corpus  
quoddam posse molle esse, quod tamen in minimis particulis duri-  
tum ostendit, atque tremorem istum, qui assumitur in fibra me-  
dullari, maxime a fluido neruo pendere. Rectius itaque *Illust.  
LUDWIGIVS* l. c. §. 310. utrumque, inquit, *in omni motu neruorum*  
*fieri videatur, nimirus impulsus fluidi contenti et tremula propagatio mo-*  
*tus in fibra medullari, per hunc ipsum fluidi impulsus ad tremorem*  
*suscipientum disposita.* Non possumus sane aliter sentire, si cogi-  
tamus, medullarem neruorum substantiam in locis sentientibus  
prius adisci, cerebrum in motus abripi debere, atque per fibras  
medullares fluidum summe elasticum facile tremens transire, quod  
solidae neruorum substantiae adplicatum, non possit non in ea ad  
ineundum tremorem dispositionem producere. Nunc ergo his  
praemissis, noua neruorum in nutritione utilitas elucescit. Ne  
nempe in fibra medullari facultas illa vibrandi pereat: continuo  
opus est influxu fluidi nerui in eandem, qua ipsa ratione fit, ut  
nerui nutritioni inferuient, quid? quod semet ipsos nutritant.

## §. X.

*Allii modi, quibus nervi nutritioni inserviunt, praeter descriptos, superesse non videntur.*

Argumenta artuli, quae mihi, nervos nutritioni inservire, suadere videntur. Non potuerunt tamen illa satis congrue proponi; nisi modi simul, quibus munus hoc nervi perficiunt, determinarentur et falsae quaedam circa hanc rem opiniones reiicerentur. Superest iam, ut inquiramus: an plures forsitan dentur modi, quibus nutritionem promouere nervi dici queant? Nunc facile largior, plures modos dari, quibus influunt nervi in nutriendas partes, praeter eos, quos descripsi, si nervos tanquam remotiora nutritionis instrumenta considerare placeat. Sic nervi adiuuant digestionem, chylificationem, motum muscularum, etc. Haec vero omnia nutritioni partium peragendae fauent. Nonne itaque nervi ipsi nutritioni patrocinari debent? At enim vero de his remotioribus nervorum actionibus, cum obiectionibus non sint subiectae, sermo in praesentiarum non est: de iis potius loquimur, quarum ope immediatae in nutriendas partes, quatenus nutriti debent, influunt. Atque hoc demum respectu adfirmo, plures modos, quibus nervi nutritioni inserviant, non videri possiles. Satis enim ex Physiologia patet, omnes nervorum actiones fluido nervoso inniti, nervosque nullo alio, nisi in sentientes et irritabiles partes, imperio gaudere. Fluidum autem nervosum in partibus sentientibus solis tantum nervis inhaeret; non poterit ergo aliam in iis mutationem, praeter sensibilitatis augmentum (§ anteced.), nutritionis respectu, producere. In partibus irritabilibus cum glutine musculari miscetur (§. VII.), atque tanquam continuus stimulus in fibras musculares agit (§. VIII.). Vtique modo

nutri-

nutritioni inferuit, sed non nisi ea ratione, quam §§. VII. et VIII. assignauit. Quae cum ita sint, videntur modi, quos §§phis proxime antecedentibus determinauit illa momenta unice explere, quae a nervis ad nutritionem immediate magis et proxime conferuntur. Non destruunt certe hanc sententiam hypotheses, quas WILLISIUS et celeberr. le CAT (§. II.) arripuerunt. Nimis enim facile ostendi potest, fluidum illud mucilaginosum, quod pro vehiculo spirituum venditare, nervis non ita inexsistere posse, ut per canales eorundem vehatur. Tota praeterea huius duumiratus sententia nimium hypothesis redolet, quam ut probari posset.

## §. XI.

## C o n f e d a r i a.

Finem huic Sectioni imponere non possum, quin pauca Confectaria addam, quae ex propositis veritatibus profluere videntur.

I. Pater, nervos non in quamlibet corporis partem eam potentiam, qua nutritioni inferuiunt, exferere. Sentientes enim et irritabiles hue tantum pertinent (§. X.). Errant itaque, qui nervorum potentiam uniuersalem esse arbitrantur (§. II.).

II. Exinde elucescit: *cur irritabilitas sub somno et abusu Opii decrescat* (§. VII.)? Somanus et Opium enim actionem fluidi nervi minuant. Conf. Illustr. EBERHARDI Dissert. de Actione narcoticorum in fluidum nervosum. Neque minus: *cur sub sensibiliitate maiore minoreve irritabilitas increscat aut decrescat?* Nam a causa communi pendent. *Cur irritabilitas a morte per aliquod adhuc tempus perduret, licet sensibilitas actum pereat?* Gluten enim muscularare definitam suam cohaesione cum ad-

mixto fluido nerueo a morte non statim amittit; ad sensibilitatem autem non solum fluidi neruei praesentia, sed et eius in animam actio requiritur. Irritabilitas itaque, destruta licet sensibilitate, manebit, licet, aequa ac haec, a nervis pendear.

III. Perspicimus, cuinam usui inferuiat fluidum nerueum continuo ad musculos promotum? Patet id ex §§. VII. et VIII. Quid ipsi praeterea accidat, si praefiterit eum usum? Cum eius actio a subtilitate pendeat: non poterit non, cum glutine commixtum, post aliquod tempus iners reddi. Absorbetur dein sine dubio, atque postea ad sanguinem cerebrumque delatum nouae inferuit secretioni, nisi aut e corpore exeat, aut aliunde destruatur.

IV. Videmus, virium corporis humani caussas in glutine et fluido nerueo latere. Solum gluten cohaesionis vim, solum fluidum nerueum sensibilitatem, utraque pars, definita ratione commixta, irritabilitatem producit. Lympha itaque nutritia ex aqua, glutine et subtilissima parte constabit. Demum

V. Intelligitur, male negari, quod fluidum nerueum nutrit (§. II.). Contrarium patet ex §§. VII. VIII. et IX. Omnis itaque lymphae pars (n. IV.), excepta aqua, nutritia est.

## SECTIO

S E C T I O N . I I .

D E

C E L L V L O S A E V S V  
I N N U T R I E N D I S C O R P O R I S H V M A N I  
P A R T I B V S .

§. XII.

*Definitur is cellulose usus.*

I*llustr. de HALLER adeo digne cellulositatem delineauit, ut fere pro inuentore insignis huius corporis humani partis haberi posset. Ex ista, quam proposuit Vir illustris, telae cellulose descriptione plures eius intelliguntur utilitates, atque inter has istae quoque, quibus nutritionem adiuuat. Has omnes pensitare animus non est, cum aliunde iam constent, et ab aliis iam sint expositae. Unius tantum mentionem iniiciam, quam ab alio, atque ipso Illustri de HALLER expositam esse non reperi, quae mihi interea satis notabilis esse videtur. Dum nempe tela cellularis multas minimarum corporis humani fibrarum cingit, et lympham nutritiam recipit: efficit, ut minimis ipsis fibris humoris nutrientis particulae adponantur, atque istae ideo nutrientur. Spectat is cellulose usus potissimum ad fibras nerveas et musculares, licet, quod alii monuerunt, tela cellularis ipsa eadem ratione suae nutritioni inferiat. Cum itaque istae fibrae non nisi hac ratione, quod patet, nutrirri possint: non solum summi momenti est, quem dixi, cellulose usus, sed dignus etiam qui pluribus corroboretur. Quod vero facile fieri.*

§. XIII.

*Euincitur haec utilitas, et ostenditur eius necessitas.*

Tela cellularis non stipata vel crassior est, vel tenerior. Haec solam lympham, illa cum lympha adipem recipit. Conf. Illustr.

*de*

D 3

30      *Dissertatio inaugural. medica, de Vſu nervorum &c.*

de HALLER *Elem. Phys. corp. hum.* Tom. I. Libr. I. Sect. II. et IV.  
atque *Illiustr. et venerand. PRAESIDIS* Dissert. de *Vasorum lymphaticorum*  
*glandularumque conglobatar. utilitate.* Nunc lympha fluidum est nu-  
tritium; humor ergo nutritioni destinatus cellulose teneriori in-  
fertur. Haec vero ambit quasdam minimas corporis humani fi-  
bras, nerueas scilicet, musculares et tendineas. Quare cellularis  
telae ope humor nutritius quam proxime ad istas fibras applicatur,  
ut ita nouarum particularum appositiio contingat. Atque hic cel-  
lulose usus summe est necessarius, cum nullus aliis detur mo-  
dus, quo humor nutriens minimis istis fibris applicari queat. Quum  
enim fibrae minimae non vasa, sed verae fibrae sint, atque cum  
nutrientibus vasculis immediatum nexum non habeant, tela certe  
cellularis, in praedictis saltim fibris, unica est via, per quam ad eas  
humor nutritius vehi potest. Nonne itaque a cellulose laesioni-  
bus quaedam nutritionis vitia oriri possunt? Sed in re facili filum  
nostrum sermonis abripiamus.

T A N T V M.



*MONSIEUR,*

C n'est pas la seule solennité de ce jour, qui m'incite à vous feliciter d'un honneur aussi élevé que celui qui vous attend; les mouvements de mon Coeur décelent une autre source de mes voeux ardents. Cette Amitié, cette Estime, cet Amour le plus tendre que j'ai pour vous, tous ces vrais sentiments de mon Coeur pourroient-ils me faire garder le silence, dans le tems que vous vous eleviez à un dégré de gloire digne de vos études? Ah! que je suis peu capable de vous exprimer assez les passions de mon Ame, et c'est cette impossibilité qui est une preuve d'une vraie reconnaissance envers vous. Tout rempli de joie j'apprends qu'on vous ouvre la lice où votre habileté sera récompensée de la Couronne à laquelle vous aspirez, c'est celle que les mains des assiez tressent à leur Libérateur. Heureux mortel que vous êtes! Conduit par la Vertu et la Prudence vous mépriserez tous les efforts de l'Envie, en ne vous en défendant que par des biensfaits. vous coulerez ainsi vos jours couronnés de gloire et remplis de plaisirs, et toutes les fois que vous tiverez des mortels du sein de la mort, Votre réputation en sera encore plus assurée. Permettez moi, mon Ami, qu'à ce jour je prenais part à Votre fortune, et quand le destin nous séparera, croiez alors que ce n'est pas un Amour déguisé qui nous ait unis.

à Halle le 23. de Mai  
1766.

TRANSLAT  
GÉRARD ARNOLD SYBEL  
*de la Westphalie*  
Etudiant en Théologie.

\*\*\*\*\*

**O** Freund, wie nahe gränzt der höchste Grad der Freuden  
An bange Traurigkeit, an schwermutsvolle Leiden!  
Der Tag, der Deine Stirn mit Ruhm und Ehre schmückt,  
Der ift, der meine Brust schreckt und zugleich entzückt.  
Entzückt, weil er, o Freund, Dein würdig Haupt umlaubet,  
Und schreckt, weil er zugleich den besten Freund mir raubet,  
Doch schweige, wilder Schmerz, kein traurvoller Blick  
Entweibe diesen Tag und meines Freundes Glück.  
Sich! majestatisch schwingt mit glänzendem Gefieder  
Vom lächelnden Olymp die Ehre sich hernieder.  
Frolockend dränget sich zu ihrem güldnen Thron  
Hygäa bin, und stell' Dich, ihren würdigen Sohn,  
Dich, dessen seltnen Fleiß so oft der Mond belauschte,  
Wenn er um Wissenschaft des Monus Schätze tauschte,  
Wenn Dein geschrägster Witz im Schoos der ernsten Nachte  
Den Mitteln, Sterbliche zu retten, nachgedacht,  
Ihr zur Belohnung dar. - - Schon lächeln ihre Blicke  
Betonend auf Dich, Freund, auf Deinen Fleiß zurücke;  
Schon glüht um Deine Stirn des Ruhms erhabner Glanz,  
Und siegreich schmückt Dein Haupt ein frischer Lorbercraanz.  
O Dichtkunst leibe mir jetzt deine feurige Schwingen,  
Die Freude, die mein Herz erschüttert, zu besingen;  
Doch, Freund, Du kennst dieß Herz; sein inneres Gefül  
Verräth Dir jeder Blick, schweigt gleich mein Saitenspiel.

Halle den 23. Mai.

1763.


D. C. O. BVRCHART,  
d. R. B.  
aus Westphalen.

00 A 6328



Retro ✓





10.

DE  
**VSV NERVORVM  
 TELAEQVE CELLVLOSÆ**  
 IN NVRIENDIS  
 CORPORIS HVMANI PARTIBVS

AVSPICIIS SVMMI NYMINIS  
 CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM

PRAE SIDE

**D. ANDREA ELIA BVCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
 POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS CONSILARIO INTIMO,  
 MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVR. PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
 FACVLT. MEDICAE SENIORE ET REGIOR. ALVMNOR. EPHORO,  
 IMPERIALIS ACADEMIAE NATVR. CVRIOS. PRAESIDE,  
 REGIAR. SOCIET. SCIENT. ANGLIC. BEROL. ET MONSPELIENS. SODALI,  
 ET COMITE PALATINO CAESAREO,

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQVE IN MEDICINA CONSEQVENDIS HONORIBVS  
 IN REGIA FRIDERICIANA

D. XXIII. MAI A. R. S. MDCCCLXVI.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR  
**THOMAS LVDOLPHVS STVTE**

SVSATO - GVESTPHALVS.

HALAE MAGDEBURGICAE, LITTERIS STEPHANIANIS.